



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 103. Synodi celebratio Legatis una congregatis a Pontifice proposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

§. CIII.

Synodi celebratio Legatis una congregatis a Pontifice proposita.

Nil amplius superesse videbatur, nisi *Pall. l. c.*
 ut circa Synodi locum comperta
 haberetur Principum voluntas, quæ ut
 magis

laborem plurimum, prorogatamque plures annos
 in Principum gratiam, qui Concilium, donec
 longinquum crederent, poscebant; ubi vero pro-
 pinquum adspicerent, recusabant, & ab eodem
 Paulo bis detentos diutius Legatos suos prius
 Vicentiae, dein Tridenti, sed frustra, propter
 absentiam Præsulum Principibus subjectorum,
 hos tercia Vice Tridentum venisse admodum in-
 frequentes, ac potissimum Gallos, ex quibus con-
 festim quidam abscesserant, Concilium fuisse trans-
 latum Bononiæ ex necessitate repentina, & in-
 scio Pontifice, atque omnium fere Patrum con-
 sensu; idipsum postea a Rege Galliæ compro-
 batum, ac denique dissolutam ibi Synodus
 fuisse ex ejusdem Regis sententia ob accerrimam
 Cæsaris repugnantiam: reponendæ Tridenti Sy-
 nodo ex Julii Decreto Regem solemniter con-
 sensisse, sed postea mentem mutasse, propterea
 quod Pontifex pati noluerit, ut ab eo Gallico-
 rum militum copiæ inducerentur in urbem Apo-
 stolicæ Sedi beneficiariam: & Regem Synodo
 tunc repugnasse, tametsi revera ille armorum

E e 5 motus

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

magis adhuc patesceret Pontifici, is
cunctos Oratores Romæ agentes con-
vocabat, exceptis Franciæ, & Poloniæ
Legatis, quorum hic adversa valetudi-
ne pressus præpediebatur, ille vero non
accersitus erat, ne forte, inquiebat Pon-
tifex, ob loci prærogativam inter Le-
gatos dissensio oriretur: ceteris igitur
Pius IV. futuram Synodi celebratio-
nem proponens eidem hæc significabat:
„mihi firmum, fixumque est Concilium
„congregare, illudque Tridenti haben-
„dum omnino consultum censeo, cum
„enim hæc urbs jam bina vice fuerit
„acceptata, nec nunc recusari poterit,
„præcipue cum Synodus a Paulo III.,
„& Julio III. ibidem celebrata nequa-
„quam dissoluta, sed duntaxat interru-
„pta fuerit, proin ablata hac suspensi-
„ne Concilium, ut antea, in sua vi per-
„maneat: aliunde vero, cum ibidem
„plura, eaque sanctissima fuerint condi-
„ta

*motus nulli esse posset obstaculo, ne tuti accede-
rent Tridentum, ibique degerent Antislates Gal-
licani. Tam longe Julium absuisse ab emendi-
candis pro solutione Synodi excusationibus, ut
denuntiationes regias haud moratus eam pro-
secutus fuerit, donec Lutheranorum impetus non
solum eos omnes Patres in fugam egerat, sed
paulo post ipsum etiam Carolum Cæsarem
fugaverat.*

„ta decreta, haud æquum foret, ut ea Sæcul. XVI.
 „in controversiam vocarentur, solo ob- A.C.1560.
 „tentu, quod nunc novum celebraretur
 „Concilium, quapropter Nuntiis meis,
 „qui apud Cæfarem, necnon Hispaniæ,
 „& Franciæ Reges morantur, injunctum
 „volo, ut hac de re cum Principibus
 „agant, quapropter omnes hosce Nun-
 „tios convocabi, ut desuper suis Domi-
 „nis rationem reddere valeant.

§. CIV.

*Nuntii Apostolici a Papa ad Syno-
dum missi.*

Pium hoc Pontificis propositum sum-
 mopere commendabant Legati, præ- Pallav. l. 14.
 cipue in hoc eum deprædicantes, quod c. 13. n. 1. § 2.
 ipsius studium ad fidei conservationem,
 & Principum salutem tenderet, cum hi
 ferventibus adhuc cunctis hisce Religio-
 nis innovationibus Regna sua haud
 quaquam moderari valeant. Hac su-
 per re Pius etiam ad suos Nuntios in
 Germaniam, Franciam, & Hispaniam
 literas dabat, cum vero eorum respon-
 fa ipsi haud plene satisfacerent, hinc ad
 hosce Princes, ut de eorum sententia
 magis certam haberet notitiam, alios
 quosdam deputare statuit, & præpri-
 mis ad Hispaniæ Regem ablegabat An-
 nibalem Altempsum, qui anno se-
 quenti Cardinalis est renuntiatus, alium
 vero